

fine ambagibus Paradisum accipit pro Regno Cœlorum. Infra addit: *Dotes, quod illa corporis pulcritudo non amplius videatur. Non enim veram illius Animæ pulcritudinem intueris, quæ nunc in festo conventu Cœlestium exultat. N: xaxds xxiros a ipdaxmas, à TON OËONBAËTION. Quam ille pulcher oculus est, QUI DEUM ASPICIT!* Certum est ex hoc loco, Visionem Dei Iustorum Animabus a Nysseno tribui. Eundem quoque consule in Vita Sancti Gregorii Thaumaturgi: neque enim plura addere opus est.

Sed quandoquidem facta mihi nuper fuit Sanctus Ephræm Syri mentio, quem Basilius & Nyssenus viventem mirum in modum suspexerunt, mortuum vero circiter Annum Christi cccclxxix. uti jam dixi, Nyssenus laudavit: ipsum quoque admirabilem tum sanctitate, tum doctrina virum, de præsentī controversia seiscitemur. Is ergo Libro Primo Cap. i. de Beatitud Animæ, Beatus, ait, qui invenerit fiduciam in hora exitus sui, quando Anima separatur a Corpore. Venient Angeli assumere Animam, & perducent eam ante tribunal immortalis & metuendi Judicis. En peculiare atque occultum Animarum Judicium. Subdit Ephræm: *Grandis timor est, fratres, in illa hora mortis, & separationis Animæ a Corpore. Adstent enim tunc ipsi Animæ opera ejus, quæ die noctuque bona & mala gessit.* Denique addit: *Sancta Anima, quum separatur a Corpore, non timet, nec metuit; sed magis gaudens, cum fiducia pergit AD DEUM evecta officii Angelorum.* Quemnam vero in locum evehantur Iustorum Animæ, dic, rogo, amantissime Dei Ephræm, & amoris erga Deum ferventissime præco. Respondet ille in Sermone ad Monachos de Sanctis Patribus, qui requieverunt: *Deus valde eos diligens, collegit eos in Portum Æternæ Vitæ Gaudiumque Semipiternum; quo illi exultant INTER PARADISI DELICIAS, IN COELESTI THALAMO immortalī SPONSO CONJUNTI.* Nam cum gaudio ingeni hinc migraverunt, *PROFECTI AD DEUM, habentis secum paratas lampades suas.* Horruisset, puto, celeberrimus ille Alecta, si Burnetum aliquem audisset, inconsulte adeo in miseram conditionem & somnum detrudentem Piorum Spiritus post mortem. Longe profecto alia tunc erat hac de re Patrum sententia atque Traditio, cuiæquius nunc nostram & nos accomodabimus, quam inanibus Novatorum inventis. Rursus autem in Sermone de Laudib. Sanctior. Martyr. Ephræmum loquentem audiamus. *Vidisti, inquit, lacrimatē ingentem, Cœlestem Regnum tota fide quærentium, Christumque Regem suum omni affectu ambientium. Vidisti caritatem flagrantem in beatissimis pectoribus Martyrum, pro qua terrena cuncta spreverunt, ut Deum suum tenerent, quem dilexerunt. Vidisti affectum Christi, quomodo a terra sublimat exaltari cupientes. Vidisti exultantem Paradisum amplecti & fovere sui avidos milites Christi, in æterna Luce ac pace gaudentes.* Infra ipsos alloquitur Martyres, nunc familiarius cum Domino conjunctos, ut pro nobis peccatoribus Dominum interpellare non desinant. Tum Beatos illos deprecatur: *Nam pressura tempore, quum parvarum dolor augetur, vos ante mentis oculos Paradisum habebatis,*